



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

XXXII. D. Felix. II. VI. Arch.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

## XXXII. D. FELIX, II. VI. ARCH.

**D** Felix in ea difficillima incidit tempora, ut quid ageret, aut omitteret, unà cum Episcopis aliis incertissimum haberet. Unde Methodius in hunc maximè modum scripsit: *ea tempestate Felix, tertius post Paulinum Trevericam in Pontificatu sortitus est Ecclesiam, Maximo Imperatore tyranno Rempublicam tunc in his partibus gerente, & Trevirim hereticorum cladibus pulsante, Tunc B. Martinus Trevirim venit, & cum Felice ruit.* Felix nimirum ab Ebiscoporum Synodo, Maximi tyranni tanquam supremi judicis partibus addicta, & electus & ordinatus est D. Martino præsentè & connivente: quam ob rem unà cum Felice à cœlesti nuntio reprehensus Martinus, crebris lacrymâs pœnitentiæ testibus culpam admissam expiavit. Locum eluendis culpis peridoneum ipse struxit sibi Archipræsul, translatis enim ex Phrygia D. Paulini ossibus ædificavit monastorium, cuius & ipse membrum nobilissimum est effectus, postquam honores quovis publicos reliquit. De anno abdicationis vix bene constat: annum mortis 398. legimus. Sulpitius Severus de D. Felice hæc memoravit: *postridie Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sanè Viri & planè digni, qui melioritempore Sacerdos fieret.*

## S E C U L U M V.

## XXXIII. MAURITIUS II, VII. ARCH.

**N**on quanta egerint, sed passi fuerint Mauritius Archipræsul & Successores, compertum est: hæresibus namque passim & sceleribus (ut jungi consueverunt) toto orbe Christiano exundantibus, Deus scelerum & hæresum vindex, Gothos, Hunnos, Wandalos aliòsque hostes suscitavit. Trevirenses igitur, quòd luxu & ebrietate diffluerent, à Crocho Wandalorum Duce sub Episcopo suo Mauritio ferè sunt excisi penitus, magnificis passim ædificiis subversis. Monasteria nihilominus, & quidem